



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

**LVII.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

bus Orientis, quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui dum ambulasset, occurrit ei omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honore B. Apostolorum Petri & Pauli. Et gaudebat Iustinus Augustus se suscepisse in partibus Græciæ Ioannem Papam Romanum, sicut Constatinus Augustus susceperebat Siluestrum Episcopum. Qui Iustinus dans honorem Deo humiliauit se pronus, & adorauit Ioannem beatissimum rogantem cum grandi fletu, ut legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui postquam obtinuit, propter quod ierat, ipsi Iustino Augusto, ut vicarius B. Petri Apostoli rogatus manibus suis cum gloria coronam impoſuit. Eodem tempore Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros & exconsules, Symmachum & Boëthium, & interfecit eos gladio. Cum verò Ioannes venerabilis Papa, & Senatores eius comites reuertentur à Constantinopoli, prædictus Rex hæreticus cum grandi dolo & odio suscepit eos, quos etiam gladio voluit interficere, sed non ausus est metuens indignationem Iustini Augusti, quanquam permiserit in custodia afflitos \* cremari. Ipse verò Papa afflictus \* cruciari in custodia defecit, & mortuus est martyr, 15. Kalend. Iun. Quem statim derepente est intereundo subsecutus ipse Theodoricus rex hæreticus. Corpus verò B. Ioannis translatum est de Rauenna, & sepultum est in B. Petri basilica 6. Kalend. Iun. Et cessauit Episcopatus dies 58.

## L VI.

**F**ELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedet annis 4. mensibus 2. dieb. 13. Et sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 4. Idus Octob. Et cessauit Episcopatus diebus 3.

## L VII.

**B**ONIFACIUS, natione Romanus, ex patre Sigebaldo, sedet annis 2. diebus 26. Hic fuit ordinatus in basilica Iulii sub intētione cum Dioscoro, qui ordinabatur in basilica Constantiniana. Fuitq; dissensio in clero & senatu dies 28. Sed Dioscorus ipso anno 2. Idus Octobris defunctus est. Quem Bonifacius zelo ductus cum grandi amaritudine sub chirograpto anathematizauit, & eum archiuo Ecclesiæ retrusit. Sed ei nullus subscribere voluit. Hic congregata Synodo in basilica B. Petri Apostoli, fecit cum chirographis sacerdotum iusurandum ante confessionem Apostoli Petri in diaconum Vigilium, ut sibi succederet. Vnde facta iterum Synodo S censue.

censuerunt sacerdotes omnes propter reuerentiam sanctæ Sedis, quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum respiciens, qui sibi successorem constituisset. Quapropter Bonifacius regum se confessus est, quod in Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli fecisset, ipsumq; chirographum sub præsentia omnium sacerdotum & cleri, & senatus incendio consumpsit. Tunc venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, & ut consilio Domni Papæ omnia Carthaginensis Episcopus ficeret. Sepultus autem est in basilica B. Petri Apostoli, sub die 17. mens. Octob. Et cessauit Episcopatus dies 15.

## L VIII.

**I** OHANNES, q. & Martirius, natione Romanus, ex patre Proiecto, de Cælio monte, sedet annis 2. mensibus 4. diebus 6. Eodem tempore Iustinianus Augustus, vir religiosus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad sedem Apostolicam per Episcopos Epatium, & Demetrium. Sepultus est autem Ioannes Papa in basilica B. Petri Apostoli, 6. Kalend. Iunias. Et cessauit Episcopatus dies 6.

## L IX.

**A** GAPITVS, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero ad sanctos Ioannem & Paulum, sedet mensib. 11. diebus 18. Hic libellos anathematis quos inuidiæ dolo extorserat, Bonifacius à presbyteris & Episcopis contra canones & contra Diocorū in medio Ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, & totam Ecclesiam absoluit. Deniq; missus est à Theodato rege Gothorum ad Dominum Iustinianum Augustum, qui indignabatur contra eundem regem, quod occidisset Reginam Amalsuentham commendatam sibi, filiam scilicet Theodorici regis, qui eum regē fecerat. Ingressus ergo Agapitus Constantinopolim 10. Kalend. Maii suscepit est cum gloria, & cœpit altercationem habere cum Iustiniano Augusto de religione. Responsumq; reddidit constantissime de Domino Iesu Christo, Deo & homine, quod in una persona Iesu Christi duæ sint naturæ. Qua alteratione Anthemium Constantinopolitanum Episcopum inuenit hæreticum. Dixit itaque Imperator Agapito. Aut consenti nobis, aut in exilium deportari te faciam. Cui respondit. Ego quidem peccator ad Iustinianū Imperatorem Christianissimum venire desiderau, nunc autem Diocle-